

Q. N. 230.

17

X 2311836

Ya
3778

DE INCLVTO

BIBLIOTHECAE ELECTORALIS

DRESDENSIS

C O D I C E

BIBLIORVM EBRAEORVM

MANVSCRIPTO



P R O L V S I O



Q V A

ORATIONEM SOLEMNEM

MORE MAIORVM

NOVI MVNERIS ADEVNDICAVSA

D. III. IVN. H. L. Q. S. RECITANDAM

INDICIT

CAROLVS FRIDERICVS BAHRDT A. M.

PHILOLOGIAE SACRAE PROFESSOR PVBL. EXTR. ET AD

AED. DIV. PETRI ECCLESIASTES SVBST.

4

LIPSIAE

LITTERIS BREITKOPFFIIS

(1767)



DE
INCLVTO BIBLIOTHECAE ELECTORALIS
CODICE BIBLIORVM EBRAEORVM
MANVSCRIPTO



um mihi fors nuper contigerit perhonorifica, vt
serenissimi Electoris Saxoniae FRIDERICI AV-
GVSTI nomine, ab indulgentissimo Principe
Regio XAVERIO, Saxoniae Electoratus Ad-
ministratore vigilantissimo, officium, PHILO-
LOGIAM sacram extra ordinem tradendi, clementissime impone-
retur publicum, non diu multumque cogitavi, quidnam in ipso aditu
huius muneris proponere et limatissimis hominum nostrorum iudi-
ciis submittere et possem et deberem. Factum enim est superiore anno,
singulari Excellentissimi atque Illustrissimi COMITIS de BOSE in-
dulgentia, vt Bibliothecam Electoralem, quae librorum certe impresso-
rum numero pares habet paucas, superiorem forte nullam, atque in ea
praestantissimum Codicem Bibliorum ebr. manuscriptum, (adiutus con-
silio atque industria Dnn. Bibliothecariorum CRVSI atque CLODII,
quorum et mirificam eruditionem et singularem aduersus me hu-
manitatem admirari nunquam desinam) inspicere, manibus tractare, et
quod

quod nemini ante me concessum fuit, interposita mille imperialium cautione, deportare domum eiusque lectioni quindecim dies impendere possem. Vfus autem sum codice illo ita, vt primum Psalmos omnes cum editionibus vulgaribus conferrem diligentius, reliquos vero libros ita deinde percurrerem, vt possem olim ipsius codicis descriptionem edere, quae fidelior esset atque accuratior Tenzeliana illa, quae in eius Bibliotheca curiosa reposita. I. e. WEKII *Beschreibung der Residenzstadt Dresden* p. 41. 42. deprompta, verbis expressa est his: *Insonderheit wird daselbst auf der Bibliothek als das principalste Stück gezeiget, eine alte hebräische auf Pergament geschriebne Bibel, mit beygefügter chaldäischer Uebersetzung oder Targum, wobey die Masora in allerley zierlichen Thierblumen und andern Figuren herumgeschrieben: welches vor das purlaunterste und älteste Exemplar, so man weit und fern in Europa finden soll, und woraus man sich des Grundtextes sicherlich zu erhöhlen, gehalten wird. Gestalt es zu solchen Ende nicht nur bey inländischen oder benachbarten Universtitäten in irrigen Dingen gebraucht, sondern auch von fernem Landen und Provinzien, auch wohl ehemals (quorum hoc ehemals pertineat, scire valde cuperem) gar nacher Hispanien daraus Rathis erhohlet worden.* — Atque eiusmodi certe adulationibus, quam parum tribui debeat, ostendit IAC. TOLLIVS, cuius fides Tenzelianam aequae ac Wekianam longissime superat. Is enim in epist. itiner. III. singulari, ait, *humanitate Viri, admiranda eruditione pariter ac pietate excellentis, Domini D. Speneri — spectavi ornamenta sacelli principalis sacra stupendi pretii, nec non Bibliothecam, in qua duo, prae caeteris, ostendebantur sacrae scripturae codices MSS. tot fabulis referti, vt ea ipsa de causa asseruarentur. Huius ego generis Bibliorum editionem antiquissimam, tabellis seu figuris illustratam, apud Batavos, in Goudana Bibliotheca meis manibus tractasse legisseque memini, in quibus enormes adeo fabulae veris narrationibus intermistae sunt, vt mereri videatur, qui diligentius caeteris custodiatur.* — Addit HEN. CHRIST. HENNINIVS in notis: *Novimus plures tales editiones, et codd. MSS. variis linguis,*
apo-

apocryphis non accensendos, sed plane abscondendos. — Sic Tollius, adius forsan fideli Speneri confessione, Bibliothecarii, qua Wekiius vt puto deceptus est, euasit feliciter ostentationem.

§. I.

Sed nos quidem narrabimus ingenue, quae observatu digna visa Librarius. sunt codicem celeberrimum inspicientibus, atque sedulo, cum adulatoris fraudes, tum calumniatoris bilem euitare studebimus. *Primum* quidem de editore, *deinde* de ipso codice eiusque conditione, *denique* de iudicio super eius antiquitate et praestantia ferendo exponemus. Edidit vero hunc codicem manu propria exaratum ELIESER LEVITA filius SAMVELIS: cuius in genealogiam cum paulo diligentius inquirerem, WOLFIO et BARTOLOCCIO ducibus, videbar mihi vera vidisse, cum eum haberem pro eo, qui inclaruit scripto quodam, cui titulus est; רמסק אליעזר ex Gen. 15, 2. h. e. magnus commentarius in Cod. *Cholin* ex variis libris ritualibus collectus, Lublin. 2. 1661. editus. Is fuit pater domus Iudicii Synagogae Aptensis quae est in Polonia nouem circiter milliaribus a Cracouia distans, medio Saec. XVI. Pater eius בר יהודה הלוי ר' שמואל אליעזר fuit circa initium Saec. XVI. Archisynagogus Lublinensium, atque scriptum reliquit, אדונינו ר' שלמה הלוי inter Iudaeos aestimatissimum, editum a. 1682 Francof. ad M. ab eius nepote ר' משה בן אליעזר, cuius filius ר' משה בן שמואל בן משה (Schwistawitsch) in Lithuania floruit. Haec mihi ardebat conjectura, cum oculos in calcem paginae initialis Levitici fol. 70. p. 2. intentos haberem, ubi litteris uncialibus, e Masorethico textu nitide compositis, haec leguntur אדונינו ר' שלמה הלוי. Sed cum deinde in margine eiusdem paginae minusculis litteris scriptum legerem: רמסק אליעזר סופר מהרן i. e. *Scriba ex Haran*, atque ipsas antiquitatis notas in hoc codice obuias conferrem, quis fuerit hic ELIESER, nullo modo discerni posse, tunc demum animaduerti. Sufficiat itaque notasse librarii nomen et patriam, quae non est Polonia, sed Turcia Asiatica, atque in ea regio Diarbek, quae nunc etiam referta est Iudaeis, et in qua

fitae sunt Carrae ebr. *Haran*. Vere autem hunc exarasse codicem nostrum, invicto constat argumento, ex Efr. 10, 31 petito, vbi voc. ארעיר in textu coronulis ornatum reperi, praeter morem aliorum codicum, quod facere solent scribae, si nomen suum significare satagunt. Sicut autem inter Iudaeos mos est, a multis saeculis receptus, vt in describendō codice alius consonantes pingat, qui טרר appellatur, alius vero vocales, qui נקרן; ita et ELIESER non vocales et Accentus, nec Masoram, sed solas consonantes descripsit. Puncta manus aliena addidit, quod videre est ex iis locis, vbi aetas consonantes delevit adeo, vt atramento frustatim resiliente restent vestigia flava; ibi enim vocales extant atramento egregio et nitido pictae atque clarissime apparent. Alius deinde accessit, qui Masoram adiecit magnam, paruum et praeliminarem. Postea in manus Monachi venit, qui paginis titulos librorum inscripsit minio, cui alius successit, qui numeros figuris addidit germanicis: quae omnia copiosius infra docebuntur.

§. II.

Scriptura
vniuersa.

Iam ipsum codicem inspiciamus. Primum quidem membranaceus est et vastissimae molis volumine comprehenditur. Tota complectitur Biblia ebraea, una cum *paraphrasi Chaldaica*, quae alternis versibus per totum codicem, etiam in Chronicorum libris, quod rarius est, ebraeo textui subiungitur, quod reperio factum esse in codicibus optimis et antiquissimis. In Bibliotheca Phorcenſi extant eiusmodi Biblia, anno 4866 aerae Iudaicae, et 1106 aerae chr. scripta. Nec non Romae in Bibl. Vatic. asseruatur codex, cum Masora et Targum alternis versibus, caractere magno germanico, scriptus anno Christi 1295. Et SAUBERTVS in appendice ad varias lectiones Eu. S. Matth. p. 261. vbi Pentateuchum in Biblioth. Helmſt. publice asseruatum describit, eum habere, ait, versionem chald. singulis versibus subiectam, ideoque pro codice antiquissimo habet, cui tamen aduersatur RICH. SIMON Bibl. crit. Tom. III, p. 314. Denique Londini in Biblioth. Westmonasterienſi est Pentateuchus ebr. chald., altern. versibus scriptus; ex Harmazia, vulgo Ormus, in sinu Persico, Londinum delatus, vid.

WAL-

WALTON. proleg. XII, 6. — Praeterea singulae foliorum paginae tres exhibent columnas, quem morem obseruauit editor codicis antiquissimi, qui olim Hamburgi in Bibliotheca Hinckelmannia afferuabatur: vide Catalogum MSS. Hinckelm. a B. SEB. GOTTFR. STARKIO editum pag. 21. — *Charactere* vterque textus gaudet quadrato, exacto et satis nitido, sibi que maximam partim constante et aequali, sua praeterea simplicitate commendabili. Libri metrici מִצְרַיִם שִׁירָתָם et alternantibus lineis scripti sunt; ita, vt prior posteriorem duabus circiter litteris superet, eademque distinctione per vniuersas columnas aequabiliter pergat. Litterae maiusculae, minusculae, fuspensae, etc. fere omnino absunt. Litterae dilatabiles haud crebro inveniuntur, quia librarius, more codicum antiquissimorum, lineam deficientem initio verbi, lineae sequentis, primi, adimplere consuevit hoc modo:

למנצח בנגרות מוֹלֵ
מומר לדויד :לטמחא

Litteris superinductae sunt lineolae e. g. הֿ, quas non solum in τοῖς בגרמפת, sed etiam in aliis litteris reperi, plerumque tamen in הֿ et בֿ quo distinguatur אֿ, et in רֿ quo אֿ distinguatur; nam *Daleth* non cum angulo acuto, vt in impressis fieri solet, sed rotunde ab hoc librario pingitur. — Regulis lineae subductae sunt, quo scriptio appareat elegantior et rectior. Nam omnes scribae inter Iudaeos tenentur sulcos in membranis ducere: quia putant se hanc legem de sulcis faciendis a Mose accepisse cf. LEVSDENIVM in philol. ebr. Dissert. xxxiv. p. 346. In τοῖς ׀ Schva semper infra ponitur hoc modo: ׀ — Accentus negligentissime pictos inveni. Loco ׀ est ׀, loco ׀ est ׀, loco ׀ est ׀, loco ׀ est ׀, loco ׀ est ׀, loco ׀ est ׀ &c. quod lectionem poscit diligentem et molestam. Singularis praeterea est scriptio טוֹ Kametz katuph; id enim plerisque in locis plene ponitur ׀, vbi in impressis est ׀, quod tamen in voce בָּלֵ nunquam animaduerti.

Vocales.

§. III.

Punctatus itaque est uniuersus in utroque textu codex, ductu tamen pariter ac atramento, quod supra monui, aliam et haud dubie recentiore punctatoris manum indicante. Quod praeterea variis etiam exemplis potest euinci. Nam voces, quas punctator vidit esse a suo codice alienas, punctis carere iussit, atque in earum locum in margine suam lectionem posuit cum punctis. Sic Pf. 35, 27. סופר scripsit יהרה, sed punctator יהרה ע lineam induxit, atque vulgarem lectionem אלהים in margine collocavit punctatam. Porro consonae omissae habent tamen vocales, ei loco suppositas, in quo consonae fuissent scribendae. Denique consonae plurimae reperiuntur lineola transfixae sine vocalibus, quas deleri voluit punctator: quae omnia satis docent, puncta manu recentiore fuisse adiecta. Atque hoc in aliis etiam bonae notae Codd. MSS. video factum atque adeo notatum esse. Vratislaviae in Biblioth. S. Mariae Magd. codex extat membr: in folio, in Germania scriptus a. 4998. C. 1238. caractere quadrato, per MESCHALLEM BEN IOSEPH: sed punctatus postea per IOSEPH fil. KALONYMOS in gratiam R. Chaiim bea Israel. Ita Erfurti asservantur B. E. scripta per SIMNON MINNEMINON (qui alias vocatur Simson דנקרון vide Wolf: Bibl: ebr. p. 1152. Est ille princeps Punctatorum, cuius חברר הקנים extat in B. Lipsiensi liber MS.) qui consonas, et per R. BARUCH BEN R. SERA qui puncta adiecit a 5103. C. 1343. *) Fancof. ad Moenum Pentateuchus extat, cum V Megilloth & Haphtaris, cui anno demum 1420 Iedidja Vocales, accentus, & Masoram paruum adiecit. Atque eiusmodi Florentiae in B. S. Laurentii Pentateuchus habetur, in cuius calce leguntur haec: Scripta haec sunt ab Isaac fil. MENACHEM HANNAKDAN, qui et puncta adiecit, die XXIV Mensis Adar, anni a cr. m. 4051, (Vbi procul dubio scribere voluit 5051) C. 1291. Nec non in Bibliotheca Oratoriana Paris. codices reperiuntur, in quibus puncta

*) Laudatur hic codex a Io. Henr. MICHAELIS in dissert. de codd. MSS. ebr.

cta recentioris manus esse, ἀνόπται testantur. Ex quo efficitur, eos in magno errore esse, qui codicis cuiusque punctati antiquitatem, punctorum causa statim in dubium vocare contendunt. Nam innumera id exempla docent, plurimos codices puncta quidem habere, sed consonis aetate longe recentiora.

§. III.

Amstelodami inter libros CORNEL. SCHVLTINGII *Accentus*. est codex, scriptus a C. 1290, vocalibus, & accentibus a 1292 ab alio instructus, & ab exemplaribus impressis quoad *accentus* mire discrepans. Atque hanc profecto discrepantiam observavi in quam plurimis esse codicibus, quorum viri docti mentionem aliquam fecerunt. Neque id mirum. Nam meo quidem iudicio in toto accentuationis Systemate inconstantia quaedam atque incertitudo cernitur. Unde fit, ut codices MSS. etsi in aliis omnibus conveniant, accentibus tamen infinite discrepent. Atque si variae lectiones colligerentur undique, inque partes decem distribuerentur, octo partes ad accentuum minutias pertinere apparet. Quare MATTH. CHRISTOPH. REAFFIUS pag. 72. primitiarum Tubingensium iure suo fatetur: *variationes Mas. B. ASCHER et B. NAPHT. itemque omnes eas, quae in codd. MSS. et impressis reperiuntur, nec fidem tangere, nec magni momenti esse, sed in minutis ut plurimum consistere, textusque integritatem hac ipsa ratione probare potius quam evertere.* Ipse LVD. CAPELLVS in Epistola Apologetica ad Vsserium data p. 110. cura, inquit, et providentia divina circa libros sacros eo maior et illustrior apparet, quod omnes eorum descriptores omnibus locis et saeculis ita rexerit, ut in singulis eorum omnium codicibus, et variis librorum illorum translationibus, veritas omnis momentosa et necessaria, quam voluit nobis revelatam, contineatur integra et illibata. Atque haec etiam omnia in eo, cuius notitiam exhibeo, codice observavi. Nam variae lectiones in consonantibus paucissimae sunt;

B

plu-

plurimae et propemodum innumerae in accentibus: adeo, ut etiam si sit lectionum infinita varietas, sensus tamen fere nulla inde oriatur vicissitudo. Neque vero ego tantam accentuum auctoritatem statuo, ut operae pretium sit, eorum varietates tam curiose notare atque anxie in eas inquirere.

§. V.

Masora.

Masora olim in separatis chartis et libris exprimebatur; — *postea quidam superbientes scribae*, ait LEVSD. c. I. p. 260. diss. xxv. *in manuscriptis Bibliis partes Masorae singulis paginis librorum biblicorum adscribere inceperunt, et quidem praecipue vanae ostentationis causa: nam scribae Masoram variis figuris et imagunculis in libris suis, postquam eam inceperunt textui biblico addere, expresserunt. Tale exemplar MS. in 8. vocalibus et Masora ornatum ex oriente attulit Magnus Golius, in quo exemplari notae ita artificiose sunt conscriptae, ut ursarum, canum, et bovm imagines prae se ferant.* Haec omnia de nostro atiam codice dicta volumus. Singulae foliorum paginae desuper duas, tres infra, exhibent lineas Masoram magnam continentes. Locum vero trium linearum inferiorum passim occupant imagines animalium, monstrorum etiam instrumentorum musicorum, quibus continetur Masora, artificiose in eas figuras ducta. Masora parva nitido, sed minuto characterere, intercolumnaria spatia, nonnunquam etiam margines occupat, aut longe contractior illa et concisior, quam in editione Basileensi Buxtorfiana. Masora denique praeliminaris librorum, sub auspiciis librorum, minutissimis litteris, ingentique labore ac artificio, in varias figuras cernitur redacta, sed ob figurae ductus adeo intricate, ut initia et fines sententiarum et periodorum perquam difficulter inveniantur. Equidem ipse eiusmodi figuram, totam fere paginam occupantem, magno labore descripsi, atque etiam totam explicare scriptionemque eius obscuram explanare conatus sum, sed pro-

propter sumtum magnitudinem hic in tabula exsculptam exhibere nolui. Caeterum ut vocales et accentus ita Masoram manus recentior adiecit. Is enim mos erat $\tau\omega\upsilon$ ספרים, ut supra et infra columnas nec non in initiis librorum spatium relinquerent satis amplum, quo notae ad textum pertinentes, atque tituli librorum cum litteris initialibus possent adscribi. Hinc Oxonii in Biblioth. Huntingtoniana extat Pentateuchus, ubi desunt voces initiales et tituli sunt manu recentiore appositi. Et in catalogo Bibl. Schultingianae recensetur codex, cum in librorum initiis, tum in parte paginarum inferiore et superiore, variis figuris, masoram referentibus, exornatus, qui tamen anno 1290 a R. BEN MEIR scriptus et anno demum 1292 a R. CHAIM BEN R. SCHNEIOR punctatus iisque Masorae figuris auctus est. Sic nostrum etiam codicem alius punctis, alius Masora ornauit, quod ostendit atramenti ductusque diuersitas. Atque praeterea etiam in Masora parua, hinc inde recentior, et a punctatore quoque diuersa Iudaei Magistri manus, caractere rotundo et in Rabbinorum MSCtis perulgato, alleuisse nonnulla, passim etiam voces deficientes, et ab ipso librario, vel per sphalma, vel per ipsam lectiones varietatem omittas, margini adscripsisse atque ita restituisseprehenditur. Vnde iure prope nostro colligimus, hunc codicem per aliquot saecula in diuersis Iudd. manibus fuisse, autequam ad Christianos peruenerit.

§. VI.

Librarius ordinem librorum seruaui hunc, ut Pentateuchum Contenta. excipiant Iosua, Iudices, quatuor libri Regum (scilicet vterque Samuelis vna serie scriptus et pariter vterque Regum) Ieremias, Ezechiel, Iesaias, Ioel, Amos, Obadias, Ionas, Michaeus, Nahum, Habacuk, Sophonias, Haggai, Zacharias, Malachias; sequuntur V Megilloth scilicet Ruth, Canticum, Ecclesiastes, Threni, Esther; Denique Psalmi, Iob, Parabolae, (ita enim inscripta reperi prouerbia Salomo-

nis) Daniel cum Esdra et Nehemia scriptioe continua, et Paralipomena. Hic librorum ordo in libris vetustissimis obseruatur. Estque inde a priscis temporibus a Iudaeis receptus: vide in *בבא בתרא* cap. I. fol. 14. *רזו רבנן סדרן של נביאים ורושיע ושופטים שמואל* ומלכים ורמיהו ויחזקאל ישעיהו ושנים עשר. Quinque Megilloth eodem se ordine in codicibus antiquioribus excipiunt. Certe Francofurt. ad M. asseruatur codex valde antiquus, in quo idem ordo cernitur. — Praeterea in nostro codice Prophetae minores carent titulis, atque spatium, quod finem vnus ab initio alterius seiungit, non maius est, quam quod in reliquis libris capita intercedit — Exhibet etiam hic codex in utroque textu duos, qui in recentioribus nonnullis exemplaribus desiderantur, versus Ios. XXI, 36. 37. atque in eo cum MSCtis Regiis Berolinensibus, Dessauensi et Erfurtensibus, Iablonskio et Michaelis laudatis, amice conspirat. — In his vero omnibus simillimus est noster, codici praestantissimo olim Triglindino, qui in Bibliothecam IO. FR. WINCKLERI Hamburgensium Theologi transit, et in Catalago MSS. Orient. Triglindii. p. 22. ita describitur: *Codex quatuor voluminum in fol. tam vetustate quam nitore praefignis. Puncta a manu recentiore sunt adscripta. Pentateuchus singulis versibus ebr. subiunctam habet versionem Chaldaicam. Versiculi, qui in editis exemplaribus Ios. XXI. deficiunt, hic integer legitur. Iesaias Ieremiam sequitur et Ezechielem. In posteriorum titulo leguntur haec verba: נכתבו מימים קדמונים Esdras et Malachias nulla separatione distinguuntur. Accedit Masora magna et parua accuratissime exarata. —*

§. VII.

Varietas lectionis.

Codices vero MSS. consulenti maxime interest nosse varietates lectionis, easque diiudicasse. Possunt autem haec varietates et in nostro, et ut puto in quocumque codice MS. ad tria reuocari capita seu classes. *Prima classis* continebit genuinum dissensum litte.

litterae, vocis, phraeos, vel ordinis vocum et versuum, a lectione vulgari. Pauca vero sedulo inquirenti occurrent exempla in nostro codice, ubi talis genuinus adsit diffensus, et qui sit alicuius momenti. Is qui saepissime observabitur legenti in eo est, vt lectio vera, quam Masorethae in notis suis saepe indicarunt, in ipso textu reperiat. E. g. Pf. X, 5. in impressis legitur, וררבו vbi Masorethae notarunt: וררבו קרי: sed in nostro codice legitur וררבו, atque ideo nota Masorethica omissa est ab eo, qui Masoram adiecit. Eiusmodi exempla bene multa in nostro occurrunt. *Secunda classis* varietatum pertinet ad ea loca, in quibus fere matres lectionis residuae manserunt in textu, quas is qui puncta adiecit, lineola notavit, e. g. ubi ו reperitur superfluum ו lineola transfixit. *Tertia* complectitur ipsa sphalmata, a quibus nullus certo codex omnino liber erit. Haec vero sphalmata librarii que errores in nostro etiam passim apparent, sed plerumque a manu secunda, vel punctatoris, vel Masorae descriptoris, vel alius cuiusdem Magistri correcti cernuntur. Et sedulo certe cauendum est codices confu-
lenti, ne hanc tertiam classem et secundam illam cum prima, varietatemque lectionis *genuinam et momentosam*, cum *spuria et inutili* confundat. Posset vero aliquis, me certe non prohibente, *quarta* classem constituere, atque ad eam varietatem accentuum singulatum referre. Nam et haec varietas, quae maxima et infinita est, mihi videtur nullius momenti esse. Ceterum ipsa ad hanc paragraphum forte pertinentia exempla in *commentario nostro in Psalmos*, quem paramus magno studio, probe tamen a fessinatione nimia abstinentes, copiosius exhibebimus.

§. VIII.

Iam vero difficillima quaestio oritur de aetate codicis nostri. Fatendum sane est, *criteria antiquitatis codicum*, a viris doctis hactenus proposita, incerta valde atque omnino insufficientia esse. Optime

Actar.

B 3

constat

constat aetas eorum codicum, in quibus ipse librarius nomen et annum adscripsit; sed rarissimi illi sunt. Atque saepissime etiam tales inscriptiones spuriae sunt aut saltem suspectae, quia possessores codicum, ostentationis causa, talem inscriptionem crebro supposuerunt. conf. CARPZOVII Crit. S. pag. 374. Alia criteria proponit IABLONSKIUS, qui codicis cuiusdam antiquitatem cognosci putat 1. ex scripturae elegantia et simplicitate 2. ex Masorae, nec non $\tau\omega\upsilon$ Keri et Chetibh absentia vel paucitate 3. ex continua scriptione in Pentateucho 4. ex defectu emendationum aut interpolationum criticarum, quae nonnunquam priscis codicibus a Iudaeis, eos ad Masorae leges reformantibus, affricari solent. Certe simplicitate scriptionis plurimum etiam tribuit RICH. SIM. *Histoire crit. du V. Test. L. I. Chap. XXII.* ubi *Il faut*, ait, *prendre garde, que le caractère soit entièrement simple, bien proportionné et qu'il n'y ait rien d'extraordinaire.* Idem valde urget l. c. Chap. XXIII. absentiam $\tau\omega\upsilon$ Keri et Chetibh, omniumque interpolationum criticarum. Atque si ad haec criteria nostrum velles examinare, reperires eum esse antiquissimum. Nam scriptio ipsa, ut ostendimus supra, non solum elegans est atque simplex, sed ipse etiam textus sine punctis et Masorae ornamentis a librario exaratus est. Verum quam dubia sint haec, vel a Carpzovio discas c. l. p. 376. Equidem ex ipso codice signa quaedam antiquitatis proferenda esse existimarem. Velut autem ex iis quae §. V. diximus, constat, sat longo nostrum tempore in diversis Iudaeorum manibus ante fuisse, quam in Christianorum venerit potestatem; ita in tertium iam et amplius seculum, in Christianorum manibus eundem haesisse, manifestis indicis constat. Peruetusto enim caractere vncialium litterarum latino, in monasteriis fere a trecentis iam annis exoleto Monachus quidam inscriptiones librorum latinis adiecit, in summitate paginarum. Interdum initia capitum verbis latinis expressit additis cum numeris ebraeis litteris scriptis, tum germanis. Fecit hoc potissimum in Psalmis usque ad Ps. IX. e. g. Ps. II. in spatio quod ad initium cuiusque Psalmi
libra-

librarius reliquit vacuum, *minio* adscripsit e vers. vulgata lat. *Quare fremuerunt*, et apposuit numerum 5 et germ. 2. Figurae vero numerorum germ. sunt admodum antiquae. Nam 3 scribit 3, 4 4, 5 5, 6 6, 7 7, &c. Succesit Monacho alius, qui ubi prior desierat, alio pingendi genere et paulo recentione *atramento* adscribere instituit verba prima Psalmorum e versione latina, additis numeris germanicis vsque ad Ps. LXXII. Atque a Ps. LXXIII solos numeros apposuit omiſſis verbis latinis initialibus. Alius porro possessor huic iterum successit, qui Iesaiam et Danielem singulis fere lineis latina versione antiquato dudum litterarum ductu, intercalavit manu, ab illa, quae numeris codicem et titulis ornavit, omnino diuersa. Haec videntur satis idoneo argumento demonstrare, in monasterio quodam hunc codicem latuisse, atque adeo per trecentos certe annos in manibus Christianorum fuisse.

§. VIII.

Sed paulo certius potest de *praestantia* codicis iudicium ferri, et *Praestantia.* iam de eius aetate certo non constet. Videamus autem, quid viri docti statuunt, eorumque sententias cum nostro codice conferamus. *Prima* bonitatis nota ab antiquitate ducitur, quam et nostro supra vindicauimus. At meo tamen iudicio non magni momenti est tale argumentum. Nam primum quidem incerta nimis sunt argumenta, quibus ipsa efficitur antiquitas codicum. Deinde praecise etiam temporibus volumina nonnulla aequè scribi potuisse negligentius aliis, quae subsequenti aetate adornata fuerunt exactius, quis est quin intelligat? *Secundum* codicis bonae notae criterium a librario pendet. Inquirendum quis fuerit, vtrum eruditus fuerit, an merus librarius, qui, quoniam describendo vitam toleravit, negligenter atque adeo oscitanter scripsisse praesumi potest. Sed quotnam sunt in toto terrarum orbe codices, quorum librarius vel nomine innotuerit? Et si nomen compertum habeas, vnde eius haurienda erit notitia? E Wol-
fii

fi dicis Bibliotheca ebr. P. II. ? Eheu quot ibi nomina recensentur ?
 Quaere mihi nostrum R. Samuel Elieserum. Et si inueneris, dic
 quaeso, vtrum is quem in catalogo deprehendis, re vera idem sit,
 an tantum nomine? — *Tertio loco commemoratur a viris doctis*
locus. RICH. SIMON optimos putat esse codices Hispanicos, quo-
 rum, *caractère est parfaitement carré et maëstueux.* Proximum
 locum tueri censet Gallicos et Italicos. *Les plus mechants Manu-*
serits, ait, viennent des Allemans. *On ne peut trouver maintenant*
des bons Manuscrits de la Bible, qu'à Constantinople, à Salonique
et en quelques autres endroits du Levant, où les Juifs Espagnols
se réfugierent, quand ils furent chassés d'Espagne. Atque hoc
 certe argumentum, cum experientia nitatur, momenti alicuius esse
 mihi profecto videtur. Maximum certe fuit eorum quae me mo-
 uerunt, vt codici Dresdensi magnam tribuerem fidem atque auto-
 ritatem. Quocunque enim tempore codex ille fuerit conscriptus,
 ab optimo tamen descriptus esse videtur codice ideo, quia librarius
 fuit Carraeus: vid. §. I. Quartum criterium dicunt esse punctorum
 absentiam. Hinc SIMON c. l. c. XXII. laudat codicem quendam,
 ita, ac si nostrum ante oculos habuisset. *Je n'ai rien vu, inquit,*
de plus beau, ni de plus magnifique, qu'un certain Exemplaire —
qui avoit été écrit en l'an 1207 par un Juif nommé Moïse Cohen fils
de R. Salomon Cohen, pour le très-grand Seigneur Hannaschi.
Ce Manuscrit est d'un beau caractère carré et tres-proportionné.
Il avoit été écrit d'abord sans points sur un autre Exemplaire
ancien: Mais les Juifs, entre les mains de qui il est tombé ensuite,
y ont ajouté les points; ce qu'on découvre aisément par plusieurs
marques qui y sont restées: car on ne s'est pas contenté de cette
addition, mais on l'a réformé entièrement sur la Masore, et l'on a
été en quantité d'endroits des Van des Jod et quelques autres
lettres, pour les rendre plus conformes aux Exemplaires d'au-
jourd'hui. Il y a aussi dans cet Exemplaire bien moins de Keri et
Chetibh; — mais on l'a aussi réformé en cela et en beaucoup d'au-
tre

tres choses assez considerables. Idem RICH. SIMON poscit (*quinto loco*) Masorae etiam absentiam: atque *sexto*, videndum esse, ait, ad quem et in cuius usum scriptus sit codex: an fuerit homo polens autoritate et opibus. Sed ut quintum illud ad quartum referri cupimus, ita sextum hoc plane reiicimus. Nam quisquis demum fuerit conductor librarii, is tamen codici nihil addet autoritatis, cuius potius bonitas a librarii peritia et fide pendet. Vsu enim edoctus quilibet intelliget divites facilius atque etiam saepius decipi aliis, quia minus curiosi atque attenti aliis praesumuntur. Vim vero haberet argumentum, si velles ad solos eruditos vel Iudaeorum Magistros vel ipsas eorum Synagogas respicere. *Septimum* criterium dicunt esse ornatus omnis, inprimis vero figurarum atque imaginum absentiam. Atque RICH. SIMON fidem codicis picti ideo in dubium vocare contendit, quia librarium in haec ornamenta magis intentum quam in describendo textu curiosum praesumit. At miror certe virum alias circumspicissimum non cogitasse de re adeo nota: scilicet ipsos librarios has imagines Mosoreticas nunquam exarasse, sed solos consonantes descripsisse. Vide etiam quae monet CARP-ZOVIVS c. l. pag. 380.

§ X.

Sed liceat his virorum doctorum sententiis meam addere eamque iudicum competentium iudicio submittere. Equidem pro ea, quam habeo, codicum MSS. noticia, codicibus hodie superstitis admodum magnam autoritatem non tribuo. R. SIMON in disquiss. crit. p. 20. *Non alia sunt, inquit, hodie exemplaria, quae illa, quae vulgo Masorethica appellantur. Non enim alia Iudaei a pluribus saeculis agnoscunt. — Unde maxima illa, quae inter tot codices diversorum locorum et temporum reperitur consensio, si pauca eaque minuta excipias, quorum etiam pleraque scribarum oscitantium potius sunt οφάλλματα, quam variae lectiones.* Qui autem

Quid mihi videatur.

C

tem

tem aliter fieri poterat, quando quidem Iudaei, qui opus Masorethicum veluti quid diuinum respiciunt, codices Bibliorum mss. ad illud reformare veriti non fuerint, erasis litteris, dictionibus, imo et sententiis integris in Mss. exemplaribus, ut ita Masorethicos conformarentur. Equidem haud diffiteor, Simonium abiecte fatis de integritate codicis sacri sentire atque ideo in dubium vocare ea omnia conari, quae eius fidem atque autoritatem stabilire possent: ex quo, quantum tribui ei in laudato loco debeat, facile animaduertes: hoc tamen ipsa luce clarius est, summam iam esse codicum fere omnium consensionem, eamque, nisi immediatae Summi Numinis gubernationi miraculosa tribuantur, Iudaeis deberi, qui cum ipsi descriperunt codices, tum omnes eo praecudicio capti sunt et fuerunt, quo scilicet ad Masorae diuinam propemodum regulam codices omnes esse examinandos statuunt. Atque exinde nouum forte codicis praeslantissimi et singularis autoritatis duci posset criterium, nimirum hoc: quicumque codex in sat multis locis dissensum prodit magni ponderis et momenti, et cum veterum Versionum conspirantem, eum pro antiquissimo haberem atque optimae notae. Dicam haec explicatius. Primum quidem deesse in eo vix posse putarem varietates lectionis sat multas. Quis enim dubitet, in tam innumeris codicum sacrorum inprimis Veteris Testamenti, descriptionibus aliquas, quae fidem tamen atque Analogiam totius scripturae non attingunt, temporum iniuria, librario- rumque oscitantia, deprauationes irrepsisse atque corruptelas, quibus quidem ipsa veritas diuina detrimentum ne minimum quidem passa fuerit. Atque hoc primum regulae grammaticae et exegeticae docent, cum quibus nonnumquam pugnare videmus loca corrupta, (quam etiam repugnantiam viri docti coniecturis et emendationibus aliquoties iam tollere conati sunt,) deinde Versiones veteres, quae multis in locis vna omnes eundem a lectione vulgari seruant dissensum. Ex quo abesse neutiquam posse efficitur, quin codices MSS. qui non e Iudaeorum de Masorae praecudicio emendati et instaurati sed genuini adhuc sint, id est a codice Masora antiquiore descritti, variantes ha-

beant


beant *fat multas*, et quidem, quod secundo loco et singulatim momento, *fat momentosas*, et quod tertium est requisitum, *cum versionum veterum dissensu conspirantes*. Haec omnia probe attendenda esse mihi quidem videntur. Varias enim lectiones, quae hodie e MSS. codd. proferuntur, in Accentuum saltem aut vnius alteriusve litterae, vel puncti, cuius nulla in sensum influit efficacia, diuersitate versantur. Ideo in probatoris fidei Codice variantes requirerem lectiones, quae essent potioris momenti atque etiam utilitatis. Deinde, cum non omnes diuersitates codicis cuiusdam temere possint praeferi lectioni vulgari, lex esset constituenda vniuersalis, ad quam quaeuis diuersitas tuto posset examinari. Atque equidem legem mihi describerem hanc: Lectio varians, per se bona, textui apta, propter obscuritatem loci exoptata, cum Analogia *scripturae* conueniens, (Non dico *fidei*, quia plerique ex huius nominis abusu, Analogiam fidei compendia, aut hypothefes suas constituunt; sed dico *scripturae*, quae ideo debet caute respici, quia scriptor bonus non facile praefumitur secum pugnare) legibus criticis conformis, et, quod maximum est, *cum Versionum veterum dissensu conspirans*, (neque enim leue est argumentum, vbi tot interpretes eundem a lectione vulgari seruant dissensum, qui tamen diuersis temporibus vixerunt diuersisque codicibus usi sunt) ea lectio vulgari est praeferenda. Quod si itaque codex aliquis tales mihi a lectione vulgari dissensiones exhiberet, quales iam descripsi, dicere ausim hunc codicem esse omnibus aliis praefendum. Atque haec praeslantiae nota, quot, et quatenus pertineat ad codicem Dresdensem, id alio tempore copiosius demonstrabo.

Postquam autem de praecipuo Philologiae et Critices subsidio, Codicum scilicet MSS. consideratione iudicioque de iis recte atque ordine ferendo quaedam praefatus fuerim, animum induxi, sub ipso nomi muneris auspicio pauca disserere de eo, *quod Philologiae sacrae contemptus ecclesiae Christianae sit admodum perniciosus*. Atque huic

AK Ya 3778

solemnitati dictus est proximus dies Mercurii, qui est III Iunii H. L. Q. S. Quare omni qua par est obseruantia RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM, ILLVSTRISSIMOS COMITES, VTRIVSQUE REIPVBLICAE PATRES GRAVISSIMOS, NEC NON GENEROSISSIMOS NOBILISSIMOSQVE COMMILITONES humanissime oro rogoque velint iam summa in me vti beneuolentia, cuius memoriam nunquam deleri ex animo meo patiar, atque frequenti sua praesentia me dignari et hunc meum diem mirifice ornare atque condecorare. P. P. Lipsiae Domin. Exaudi MDCCCLXVII.





W. 230. 17

X 231 1836

Ya
3778

DE INCLVTO
BIBLIOTHECAE ELECTORALIS
DRESDENSIS
C O D I C E
BIBLIORVM EBRAEORVM
MANVSCRIPTO



P R O L V S I O



Q V A

ORATIONEM SOLEMNEM

MORE MAIORVM

NOVI MVNERIS ADEVNDI CAVSA

D. III. IVN. H. L. Q. S. RECITANDAM

INDICIT

CAROLVS FRIDERICVS BAHRDT A. M.

PHILOLOGIAE SACRAE PROFESSOR PVBL. EXTR. ET AD

AED. DIV. PETRI ECCLESIASTES SVBST.

LIP S I A E

LITTERIS BREITKOPFFIIS

(1767)